

quibus egeamus. Clemens hoc de illis tradit, lib. 7. Stromat. At dicit Christus, petite & accipietis, Matth. 6. & iubet Psalm. 50. vt Deum inuocemus in afflictione. 5 Cœtus suos dicunt esse illum paradisum qui à Deo beatis sit promissus: adeò vt ex eorum sententia sit in his terris vita eterna & felix quærenda nobis, quam tamen in altero demũ seculo iubentur fideles expectare, 1. Corinth. 13. v. 12. Matth. 25. Decepti sunt homines insulsi, quòd factas Ecclesiæ promissiones, hîc impleri existimarent. In quo eodem scopulo multi naufragium fecerunt, vt pepuziani, Basilidiani, postea Seruetani. Sed etiam Nepotiani, qui à Nepote quodã Egyptiacæ vrbs Episcopo dicti sunt, idem senserunt, quemadmodum Theodoretus scribit lib. 3. hæret. fabul. & Platina in vita Sixti Rom. Episcopi. Arque hæ tot ex vna illa Adamianorum cauerna exhalant pestes.

CAP. XXXII.

Elcesei cur sic appellati. Erroris autem eorũ caput vnum hoc loco commemoratum.

Elceseos & Sampseos: hîc tanquam ordine suo commemorat Epiphanius. quos dicit à quodã pseudopropheta esse deceptos, qui vocatur Elci, ex cuius genere duas mulieres tanquam deas ab eis perhibet adoratas. Cetera Ebioneis tenere similia.

I. Elceseos & Sampseos.) Variis nominibus & hi quoque dicti sunt Elcesei, vel Elcesaitæ, ab Elcesai quodã homine impostore, qui Christianam fidem & nomen ementitus est, quũ vtrunque oppugnari apertissimè. Sic igitur & hoc etiã loco legendum

dum